



Hugo ex nobili familia de Landenburg natus fuit. Hunc ob præclaram eruditionem & uitæ integritatem Constantienses Canonici Decanum elegerunt. Eo officio cum rectè uteretur, atq; interim Thomas episcopus moreretur, Hugo omnium consensu ei surrogatus fuit, anno 1496. Eam dignitatem adeptus, uirtuti operam dedit, atq; reliquis integritate uitæ exemplo fuit. Cum etiam eius tempore cruentum bellum inter Sueuicum fœdus & Heluetios oriretur, ipse tanta prudentia cum partibus egit, ut paci studeret, atq; uicinos nequaquam læderet. Vnde etiam suam ditionem (quantum fieri potuit) integram conseruauit. Itaq; factum ut pater cleri nõ immeritò ab omnibus uocaretur. Quod si etiam templa quædam aut reliqua publica ædificia ruinam minitarentur, ipse ea restaurauit, & egregiè restituit. Cum hoc modo per triginta annos optimè præfuisset, atq; senio ingrauescente Æuires quoq; deficerent, Balthasarum Merckle anno 1528 Coadiutorem suscepit, atq; ipse Vberlingam profectus, reliquum uitæ tempus quiete degere statuit. Cum hoc modo per biennium uixisset, totum Episcopatum Balthasaro resignauit, atq; sibi tantum oppidum Marckdorff reseruauit. Verùm anno unico lapso cum episcopatus denuò uacaret, atq; Canonici ad nouum episcopum eligendum conuenirent, Hugo ille denuò ob prudentiam & pietatem Antistes electus est. Itaq; ob communem pacem conseruandam onus illud iterum subiit, & per biennium egregiè administrauit. Cum hoc modo longo tempore præfuisset, tandem in Domino obdormiuit, atq; anno 1532 Comitem à Lupffen successorem habuit. Anon in Episc. Constantiensibus.